



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Ioannes Bonus. 22. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Genuit Mantua IOANNEM BONUM.
 sed, ô malum! bonum divitiarum non
 siverunt esse. Nempe dubites, an, cum
 demortuo parente hereditatem adit,
 plures nummos an vitia numeraret.
 Unica jam mater suis apud DEUM pre-
 cibus sustinebat in præceptis ruentem:
 frustra etiam ipsa futura, ni morbus quo-
 que manum injecisset, lectuloque affi-
 xisset. Hic, uti ferè amat, gustum illi
 voluptatum abstulit, quæ nuper tam sa-
 piebant: jamque ut valeret IOANNES,
 valere mundum iussit, & vitam Religio-
 sam vovit. Hæc salutari medicinâ in pe-
 des erectus, morbi sui fomenta (divi-
 tias) non invitatus abiecit, & post vitam
 prope Casenam in summâ austeritate a-
 liquandiu actam, in eremum ad D. Au-
 gustini partes transiit, Ordinemque eum
 magnis incrementis & miraculis ampli-
 ficavit: quin adeò subinde ad castissima
 vulnerum oscula ab ipsomet Christo in
 cruce est invitatus. Sed nondum etiam
 hic extra teli jactum castitas stetit. Huc
 etiam sagittas suas misit Amor impro-
 bus. Et jam corpus à flammis impuris
 æstuabat, jam pudor vicinus incendia
 metuebat; cum contra tela infanda, tela
 alia, arundines strinxit Ioannes, & sub
 primores digitos tam valide adigit, ut

23. Octob. VITÆ SANCTORIUM. 663
triduum exanimis jacuerit. Triumphavit
tamen hostem è caelo recreatus, & exi-
mius dehinc ab hostilibus ejuscemodi in-
cursibus vixit, Cupidine plus jam arun-
dinum aculeos, quàm apum olim fugien-
te. Ex Ferr.

*Revera hæc est vera cordis requies, cum
totum in amorem Dei per desiderium figitur,
nec quidquam aliud appetit, sed in eo, quod
tenet, felici quâdam dulcedine delectatur,
delectatio jucundatur.* S. Aug. Manual. c. 29.

S. SEVERINUS BOETIUS.

23. Octobris.

Ipsum oculi tui Musarum ocellum
BOETIUM vident, cui vel hostis
Theodoricus rex testimonium hoc dedit,
omnes omninò scientias unum comple-
xum fuisse, ut jam Græciæ Roma nec
Ptolemæos, Nicomachos, Euclides, aut
Archimedes, nec Pythagoras, Platones
aut Aristoteles invideret. Tot tamen
ætatum miracula unico ingenio clausa
extinxit idem Theodoricus, furiis Aria-
norum (quos stylo BOETIUS confode-
rat) agitatus. Cæterum clientem
suum in ipsum carcerem usque musæ sunt
secutæ. Nam & in hoc librum *de Con-
solatione Philosophiæ*, & alterum *de
Trinitate* ad socerum Symmachum scri-
psit, virum itidem eruditum & Consu-
larem, quin in eâdem causâ piè post

Tt 4

mor-